



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Erotemata Ecclesiastica

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Cap. XLI. De Relaxatione Juramenti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94604](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94604)

Prima, est infamia Juris, & irregularitas *cap. Infames 6. quest. 1. dummodo tamen sequuta sit sententia declaratoria super Perjurio. Rota coram Seraph. decis. 1285. in fin. à qua Irregularitate Episcopus potest dispensare. Tolet. lib. 1. cap. 62. §. ultim.*

Secunda poena est, quod repellitur à perhibendo Testimonio. *cap. Quicumque 6. quest. 1.*

Tertia est, quod non admittitur ad jurandum in Litem. *Jas. & DD. in l. Qui jurasse, §. ultimo num. 3. ff. de jurejurand.*

Quarta, quod violans contractum, vel transactionem juratam perdit actionem, & non auditur amplius in Judicio. *Seraphin. decis. 1243.*

Quinta, quod, si est Clericus, privetur beneficiis, vel ipso Jure secundum aliquos, vel saltem per sententiam. *Diaz in Praxi cap. 95. Vers. Sed privandus.*

Sexta, quod ipse Clericus Perjurus fit inhabilis ad alia beneficia obtinenda. *Clar. in §. Perjurium. Vers. item Clericus. Diaz d. cap. 95. Seraph. decis. 128.*

2. *Quer.* In foro Poli an alia sit poena? *Resp.* Ultra lethale peccatum, frequenter esse obligationem restituendi damna, quando juramentum falsum nocuit proximo; & si Perjurium dictum sit in Judicio, est casus reservatus in hac Dicecesi Patavina, etsi fuerit officiosum; id est, non in damnum alicujus, sed ad favorem inducentis; ut ex pagella casuum reservatorum.

3. *Quer.* An, qui habet consuetudinem pejerandi, teneatur, in confessione se accusare non solum de perjuriis prolatis, sed etiam de consuetudine? *Resp.* Affirmative, ut advertit Cardenas in *Cristi Dissert. 37. cap. 2. num. 12.* & ego notavi de *Penitent. decis. 27. num. 5.*

CAPUT XL.

De Obligatione à Juramento.

1. *Quer.* Quot, & quibus modis cesset obligatio juramenti? *Resp.* Cessare quatuor modis, nempe Irritatione, Remissione, Dispensatione, sive Relaxatione, & Commutatione.

2. *Quer.* Quis possit irritare juramenta? *Resp.* Omnis Superior ipsius jurantis, nempe Pater, Prælatus, Dominus, Vir respectu suorum subditorum. *S. Thom. 2. 2. quest. 89. art. 9. & Tambur. d. lib. 3. in Decal. cap. 7. §. 1.*

3. *Quer.* Quæ juramenta possint irritari à prædictis Superioribus? *Resp.* Non solum ea, quæ sunt simpliciter Deo facta; sed etiam illa, quæ hominibus promissa sunt; dummodo sint de rebus subiectis potestati ipsorum Superiorum; & in utroque casu, etiam sine causa possunt ea irritare; & multo magis, si sibi, vel domui suæ aliquod detrimentum afferant. *Laym lib. 3. tract. 3. cap. 11. num. 2. Tambur. dict. cap. 7. §. 1. num. 2.*

4. *Quer.* Quis possit remittere obligationem juramenti? *Resp.* Ille, in cujus utilitatem, vel favorem facta fuit promissio

jurata. *Cap. 1. de Jurejur. cap. Significavit, de Censib. cap. 1. de Sponsal.*

5. *Quer.* An remitti possit juramentum factum quidem in utilitatem hominis, sed præcipuo motivo honoris Dei? ut, si quis promississet, & jurasset, dare centum Petro pauperi ob gloriam, vel honorem Dei? *Resp.* Si promissio jurata facta est pauperi certo, & nominato, ut dicto Petro; potest iste pauper remittere obligationem. At, si generaliter juravit, nullo expresso paupere, cui daret; non potest remitti; quia soli Deo est factum juramentum. *Tamburin. dict. lib. 3. cap. 7. §. 2. num. 2.*

6. *Quer.* An Abbatissæ, seu Priorissæ possint irritare Juramenta suorum Monialium? *Resp.* Affirmative; & multo magis Abbatessæ, seu Priores, aut Guardiani illa suorum subditorum. *Lezana in Summa tom. 3. Verb. Juramentum, num. 25. & ibi alii DD.*

7. *Quer.* An, si quis juravit aliquid agere, vel facere in commodum suum; puta, ire Romam ad petendum beneficium, vel petere eleemosynam tota hebdomada, possit poenitere, & sibi ipsi remittere juramentum? *Resp.* Negare Abb. in *cap. Quanto num. 8. de Jurejur.* sed affirmare *Tambur. d. lib. 3. cap. 7. §. 2. num. 4. & 5.*

CAPUT XLI.

De Relaxatione Juramenti.

1. *Quer.* Quæ juramenta relaxari, sive dispensari possint? *Resp.* Distinguendo: Aut juramenta fuerunt Deo soli facta; & hæc possunt à Prælato relaxari. Aut fuerunt facta homini in ejus utilitatem, & ab eodem homine acceptata? & non possunt à quovis Superiore relaxari, si iusta sint. Quod si sint injusta, ut puta, si facta fuerunt latroni de pecunia solvenda, vel non fuerunt ab homine acceptata; & in his casibus, iusta suadente causa, vel ob aliquod notabile bonum, possunt à Prælato proprio relaxari. Ita ex *Cajetan. 2. 2. q. 89. art. 9. & Sanch. in Decal. lib. 4. cap. 41. num. 6.* docet *Tambur. dict. lib. 3. cap. 7. §. 3. num. 2. & 3.*

2. *Quer.* An dentur juramenta omnino indispensable? *Resp.* Affirmative; & sunt illa, quæ adherent actibus per se perpetuis, & firmis, qualia sunt juramenta in professione fidei, de servanda fide Matrimoniali, Castitate Religiosa, & similibus. *Tambur. d. §. 3. num. 4.*

3. *Quer.* Qui sint Prælati, quibus competit facultas relaxandi juramenta? *Resp.* Inter cæteros Summus Pontifex in tota Ecclesia Catholica; deinde omnes Prælati habentes jurisdictionem spiritualement respectu suorum subditorum. *Tambur. d. §. 3. num. 5. & 6. Lazana d. tom. 3. Verb. Juramentum num. 26.*

4. *Quer.* An dentur aliqua juramenta, quæ à solo Papa relaxari possint? *Resp.* Duas esse opiniones. Una docet, quod juramenta, quæ si Voto firmata essent, spectarent ad solum Summum Pontificem, ab eodem quoque tantum sint relaxanda; videlicet, de Castitate perpetua absolute emissa, Religionis, & trium Peregrinationum Romanæ, Compostel.

Erot. Eccles. Cap. XLII. De Commutat. Juramenti. 71

postellanae, & Hierosolymitanae. Sanchez de Matrim. lib. 8. disp. 13. num. 7. & in Decalog. lib. 4. cap. 54. num. 21. Altera est opinio, quæ sustinet, nulla esse juramenta reservata Summo Pontifici, etsi facta forent de quinque supradictis rebus; nam juramentum est quid distinctum, & diversum à voto; & hoc est aliquid majus. S. Thom. 2. 2. qu. 89. art. 8. Et ideo, si soli Deo sunt facta, & iusta adsit causa relaxandi, possunt ab Episcopis, vel Prelatis, eorumve Vicariis habentibus quasi Episcopalem jurisdictionem relaxari. Layman. lib. 4. tract. 3. cap. 11. num. 4. Castropal. & alii, quos allegat, & sequitur Tambur. dict. lib. 3. in Decal. cap. 7. §. 3. num. 7.

5. Quer. An qui habet Privilegium relaxandi Vota pro foro interno, possit etiam relaxare juramenta? Resp. Affirmative, si soli Deo sint facta; vel minus principaliter in utilitatem hominis, nam in hoc vota, & juramenta parificantur. Pontius de Matrim. lib. 8. cap. 11. Suarez de Relig. tom. 2. lib. 6. cap. 14. à num. 19. & Tambur. d. §. 3. num. 8.

6. Quer. Qui sint Religiosi, qui habeant facultatem relaxandi, vel etiam commutandi juramenta? Resp. Benedictinos eam habere ex Indulto Martini Quinti, teste Tamburin. dict. §. 3. num. 9. & per consequens virtute Communicationis, quam ad invicem habent omnes Regulares suorum Privilegiorum, ut probat Alcanius Tambur. de Jur. Abb. tom. 1. disp. 17. quest. 1. & Coton. lib. 4. controvers. 8. cap. 1. à num. 54. docens, omnes Regulares in foro conscientie posse relaxare juramenta, quæ tamen sint soli Deo facta, vel non acceptata ab homine, si in ejus utilitatem emissa. Thom. Tamburin. d. lib. 3. cap. 7. §. 3. num. 10. 11. & 12. ubi extendit facultatem Regularium ad commutanda, relaxanda, & dispensanda tam vota, quam juramenta soli Deo facta, pro foro interno tantum, quod ego etiam docui de Penit. Decis. 46. num. 19. in fine.

7. Quer. An Judex Laicus possit relaxare juramenta? Resp. Negative, nisi essent in sui favorem facta, quia potest ea remittere. Layman. lib. 4. tract. 3. cap. 9. num. 9. Tamburin. dict. 3. §. 7. num. 13. ubi subdit, quod si esset juramentum in præjudicium Auctoritatis ipsius Judicis Laici, posset compellere subditum ad faciendum contra juramentum, sed ex eo forsan, quia juramentum foret injustum, & sic non obligaret. Cæterum Princeps Laicus non potest relaxare juramentum, quia est quid spirituale. Nicol. lib. 3. Instit. Civil. tit. 21. §. fin. num. 16. pag. 282.

8. Quer. Si relaxandum sit juramentum factum homini, & jurans sit unius Diocesis, ille autem, cui juratum est, sit alterius Diocesis, à quo Prelato erit petenda relaxatio? A Prelato jurantis ait Abb. in cap. Si quis contra Clericum num. 3. de foro competen. quia is est ejus Superior. At à Superiore ejus, cui juratum est, docet Molina tom. 1. de Justit. disp. 111. & disp. 149. quia ejus est condonare ius subditi sui. Porro distinguit Castropal. tom. 3. tract. 14. disp. 3. punct. 6. num. 2. Quod si relaxatio petatur in foro conscientie, spectet

ad Superiorem jurantis; si in foro fori, ad Superiorem ejus, cui juratum est, quia necessaria est citatio partis, & ad hunc spectat citare. Coton. lib. 1. controvers. 11. num. 43. & ibi Diana par. 11. tract. 2. resol. 36. At citatio partis non est necessaria, si relaxatio petatur solum ad effectum agendi; secus, si ad tollendam obligationem. Nicol. Instit. Can. lib. 2. tit. 24. pag. 101. Pax Jordan. tom. 3. lib. 14. tit. 22. num. 360. 361.

9. Quer. Quid requiratur ad validam relaxationem juramenti faciendam? Resp. Requiritur iustam causam, etiam si fiat à Summo Pontifice: alias coram Deo relaxatio erit nulla. S. Thom. 2. 2. qu. 89. art. 9. Abb. in cap. Quanto num. 8. de jurejur. Sperell. decis. 111. num. 74.

10. Quer. Quæ sint iustæ causæ pro relaxatione juramenti? Resp. Cum distinctione. Pro relaxandis juramentis soli Deo factis, tres dantur causæ iustæ. Prima si res promissa sit reddita illicita, vel inutilis. Secunda, si respectu jurantis facta sit difficilis, nimis, vel incommoda, puta ob supervenientiam infirmitatis, vel paupertatis. Tertia, si magis bono communi expediat, ut tale juramentum non adimpleatur. Tamburin. dict. lib. 3. in Decal. cap. 7. §. 4. num. 12. Pro relaxandis autem juramentis homini factis, ad effectum agendi in Judicio ad rescindendum contractum, vel obligationem, quinque sunt præcipue causæ. Prima, si iuramentum fuisset extortum dolo, vi, aut metu. Secunda, quando dubium est, an iuramentum valeat. Tertia, quando timetur læsio tertiæ personæ. Quarta, quando dubium est, ut nascatur occasio scandali. Quinta, quando iuramentum fuit inconsiderate, temere, vel ex ira, aut doloris perturbatione factum. Dictum est, si dubium sit, vel timetur, quia ubi scandalum, vel læsio esset certa, iuramentum de per se esset nullum. Tamburin. dict. lib. 3. cap. 7. §. 3. num. 16. ubi dat aliam causam licitam generalem relaxandi iuramentum, & est; quandoque is, cui juratum est, tenetur in conscientia rem juranti reddere, vel non potest salva conscientia rem promissam accipere, aut acceptam retinere. Sanchez. lib. 3. in Decal. cap. 21. à num. 3. Quod si causa sit dubia, iuramentum erit commutandum in aliquod aliud pium opus. Tambur. d. §. 3. num. 17.

C A P U T XLII.

De Commutatione Juramenti.

1. Quer. Quot modis possit fieri commutatio juramenti? Resp. Tribus modis, scilicet vel in opus bonum majus, vel in æquale, vel minus. Tambur. dict. lib. 3. in Decal. cap. 7. §. 4. num. 1.

2. Quer. A quibus fieri possit commutatio juramenti? Resp. Ab illis omnibus, à quibus potest fieri relaxatio, seu dispensatio, cum hac tamen differentia, quod Confessarii Privilegiati commutant tantum de per se, & in foro poli: At Prelati habentes jurisdictionem Episcopalem, vel quasi, possunt delegare